

www.e-rara.ch

Pub. Virgilio Maronis Opera

Vergilius Maro, Publius

Amstelaedami, 1730

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 25.944: a

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62960>

Liber I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS.

LIBER I.

ILle ego, qui quondam gracili modulatus avena
 Carmen, & egressus sylvis, vicina coëgi,
 Ut quamvis avido parerent arva colono,
 Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis 4

ARNA virumque cano, Trojae qui primus ab oris
 Italiam, fato profugus Lavinaque venit
 Litora: multum ille & terris jactatus & alto
 Vi superum, faevae memorem Junonis ob iram:
 Multa quoque & bello passus, dum conderet urbem,
 Inferretque Deos Latio. Genus unde Latinum, 10
 Albanique patres, atque altae moenia Romae.
 Musa, mihi causas memora, quo numine laeso,
 Quidve dolens regina Deum, tot volvere casus
 Insignem pietate virum, tot adire labores
 Impulerit: Tantaene animis coelestibus irae! 15
 Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)

Car-

Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
 Ostia, dives opum, studiisque asperissima belli:
 Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
 Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma, 20
 Hic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus esse,
 Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque,
 Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
 Audierat, Tyrias olim quae verteret arces.
 Hinc populum, late regem, belloque superbum, 25
 Venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.
 Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
 Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis.
 Nec dum etiam caussae irarum, saevique dolores
 Exciderant animo. Manet alta mente repositum 30
 Judicium Paridis, sperataeque injuria formae;
 Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.
 His accensa super, jactatos aequore toto
 Troas, reliquias Danaum, atque inmitis Achilli,
 Arcebat longe Latio: multosque per annos 35
 Errabant acti fati maria omnia circum.
 Tantaе molis erat Romanam condere gentem.
 Vix e conspectu Siculae telluris in altum
 Vela dabant laeti, & spumas falis aere ruebant;
 Cum Juno, aeternum servans sub pectore vulnus, 40
 Haec secum: Mene incepto desistere victam,
 Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?

Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
 Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
 Unius ob noxam & furias Ajacis Oiléi? 45
 Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
 Disjecitque rates, evertitque acquora ventis:
 Illum expirantem transfixo pectore flammam
 Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
 Ast ego, quae Divum incedo regina, Jovisque 50
 Et soror & conjux, una cum gente tot annos
 Bella gero. Et quisquam numen Junonis adorat
 Praeterca, aut supplex aris imponet honorem?
 Talia flammato secum Dea corde volutans,
 Nimborum in patriam, loca foeta furentibus austris, 55
 Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
 Lustrantis ventos, tempestatesque sonoras
 Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
 Illi indignantes magno cum murmure montis
 Circum claustra fremunt. Celsa sedet Aeolus arce 60
 Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
 Ni faciat, maria, ac terras coelumque profundum
 Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
 Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
 Hoc metuens: molemque & montis insuper altos 65
 Inposuit: regemque dedit, qui foedere certo
 Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.
 Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:

Aeole,

Aeole, (namque tibi divum pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus & tollere vento) 70

Genis inimica mihi Tyrrenum navigat aequor,

Ilium in Italiam portans, victosque Penates:

Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:

Aut age diversos: & disjice corpora ponto.

Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae: 75

Quarum, quae forma pulcherrima, Deiopeam

Connubio jungam stabili, propriamque dicabo:

Omnes ut tecum meritis pro talibus annos

Exigat, & pulehra faciat te prole parentem.

Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quod optes 80

Explorare labor: mihi iussa capeffere fas est.

Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptrâ Jovemque

Conciliâs, tu das epulis accumbere divum,

Nimborumque facis tempestatumque potentem.

Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem 85

Inpultit in latus: ac venti, velut agmine facto,

Qua data porta, ruunt, & terras turbine perfiant.

Incubere mari, totumque a sedibus imis

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis

Africus, & vastos volvunt ad litora fluctus. 90

Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.

Eripiunt subito nubes caelumque diemque

Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra,

Intonuere post, & crebris micat ignibus aether:

Praesentemque viris intentant omnia mortem. 95
 Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra.
 Ingemit, & duplicis tendens ad sidera palmas,
 Talia voce refert: O terque quaterque beati,
 Quis ante ora patrum Trojae sub moenibus altis
 Contigit oppetere! ô Danaum fortissime gentis 100
 Tydide, me ne Iliacis occumbere campis
 Non potuisse, ~~ma~~que animam hanc effundere dextra?
 Saevus ubi Aeacidae telo jacet Hector, ubi ingens
 Sarpedon: ubi tot Simois correpta sub undis
 Scuta virum galeasque & fortia corpora volvit. 105
 Talia jactanti fridens Aquilone procella
 Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
 Franguntur remis: tum prora avertit, & undis
 Dat latus. Insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
 Hi summo in fluctu pendent: his unda dehiscens 110
 Terram inter fluctus aperit. Furit aestus arenis.
 Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet:
 Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras.
 Dorsum inmane mari summo. Tres Eurus ab alto
 In brevia, & Syrtis urget, miserabile visu; 115
 Inluditque vadis, atque aggere cingit arenae.
 Unam, quae Lycios fidemque vehebat Oronten,
 Ipfius ante oculos ingens a vertice Pontus
 In puppim ferit. Excutitur, pronusque magister
 Volvitur in caput. [Ast illam ter fluctus ibidem 120

Torquet agens circum, & rapidus vorat aequore vortex.
 Apparent rari nantes in gurgite vasto;
 Arma virum, tabulaeque, & Troia gaza per undas.
 Jam validam Ilionci navem, jam fortis Achatae,
 Et qua vectus Abas, & qua grandaeus Aletes, 125
 Vicit hiems. Laxis laterum compagibus omnes
 Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Interea magno misceri murmure pontum,
 Emissamque hiemem sensit Neptunus, & imis
 Stagna refusa vadis: graviter commotus, & alto 130
 Prospiciens, summa placidum caput extulit unda,
 Disiectam Aeneae toto videt aequore classem:
 Fluctibus oppressos Troas, caelique ruina.
 Nec latuere doli fratrem Junonis & irae. 134
 Eurum ad se, Zephyrumque vocat. Dehinc talia fatur:
 Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
 Jam caelum terramque meo sine numine, venti,
 Miscere, & tantas audetis tollere moles?
 Quos ego. Sed motos praestat componere fluctus.
 Post mihi non simili poena commissa luetis. 140
 Maturate fugam, regique haec dicite vestro:]
 Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
 Sed mihi forte datum. Tenet ille inmania saxa,
 Vestras, Eure, domos. Illa se jactet in aula
 Aeolus, & clauso ventorum carcere regnet.
 Sic ait; & dicto citius tumida aequora placat:

Collectasque fugat nubes, solemque reduct.
 Cymothoë, simul & Triton adnixus, acuto
 Detrudunt navis scopulo. Levat ipse tridenti:
 Et vastas aperit Syrtis, & temperat aequor: 150
 Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
 Ac, veluti magno in populo cum saepe coorta est
 Seditio, saevitque animis ignobile vulgus;
 Jamque faces & saxa volant: furor arma ministrat:
 Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem 155
 Conspexere, silent; arrectisque auribus adsunt:
 Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
 Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
 Prospiciens genitor, caeloque innectus aperto
 Flestit equos, curruque volans dat lora secundo. 160

Defessi Aeneadae, quae proxima, litora cursu
 Contendunt petere, & Libyae vertuntur ad oras,
 Est in secessu longo locus. Insula portum
 Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
 Frangitur; inque sinus scindit sese unda reductos. 165
 Hinc atque hinc vastae rupes, geminique minantur
 In caelum scopuli: quorum sub vertice late
 Aequora tuta silent. Tum silvis scena coruscis
 Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra.
 Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum: 170
 Intus aquae dulces, vivoque sedilia saxo;
 Nympharum domus. Hic fessas non vincula navis

Ulla tenent : unco non alligat anchora morsu.
 Huc septem Aeneas collectis navibus omni
 Ex numero subit : ac magno telluris amore 175
 Egredi optata potiuntur Troës arena,
 Et sale tabentis artus in litore ponunt.
 Ac primum filici scintillam excudit Achates,
 Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
 Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam. 180
 Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
 Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
 Et torrere parant flammis, & frangere saxo.
 Aeneas scopulum interea conscendit, & omnem
 Prospectum late pelago petit; Anthea si quem 185
 Jactatum vento videat Phrygiasque biremis,
 Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caïci.
 Navem in conspectu nullam. Tris litore cervos
 Prospicit errantis: hos tota armenta sequuntur
 A tergo, & longum per vallis pascitur agmen. 190
 Constitit, hic, arcumque manu celerisque sagittas
 Corripuit; fidus quae tela gerebat Achates:
 Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis
 Cornibus arboreis, sternit; tum volgus: & omnem
 Miscet agens telis nemora inter frondea turbam. 195
 Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
 Corpora fundat humi, & numerum cum navibus ae-
 quet.

Hinc portum petit, & focios partitur in omnis,
 Vina, bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
 Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros, 200
 Dividit, & dictis maerentia pectora mulcet:
 O focii, (neque enim ignari fumus ante malorum)
 O passi graviora; dabit Deus his quoque finem.
 Vos & Scyllaeam rabiem penitusque sonantis
 Accestis scopulos: vos & Cyclopia saxa 205
 Experti. Revocate animos, moestumque timorem
 Mittite. Forfan & haec olim meminisse juvabit.
 Per varios casus, per tot discrimina rerum,
 Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
 Ostendent. Illic fas regna resurgere Trojae. 210
 Duxate, & vosmet rebus servate secundis.
 Talia voce refert: curisque ingentibus aeger
 Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem,
 Illi se praedae accingunt, dapibusque futuris:
 Tergora diripiunt costis, & viscera nudant. 215
 Pars in frustra secant, veribusque trementia figunt,
 Litore aëna locant alii, flammasque ministrant.
 Tum victu revocant vires: fusi que per herbam,
 Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinae.
 Postquam exempta fames epulis, mensaeque remotae, 220
 Amissos longo focios sermone requirunt:
 Spemque metumque inter dubii: seu vivere credant,
 Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.

Praecipue pius Aeneas, nunc acris Oronti,
 Nunc Amyci casum gemit, & crudelia secum 225
 Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.

Et jam finis erat: cum Juppiter aethere summo
 Despiciens mare velivolum, terrasque jacentis,
 Litoraque, & latos populos, sic vertice caeli
 Constitit, & Libyae defixit lumina regnis. 230

Atque illum talis jactantem pectore curas,
 Tristior, & lacrimis oculos suffusa nitentis,
 Adloquitur Venus: O qui res hominumque deumque,
 Aeternis regis imperiis, & fulmine terres,
 Quid meus Aeneas in te committere tantum, 235

Quid Troës potuere? quibus tot funera passis
 Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.
 Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
 Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucris,
 Qui mare, qui terras omni ditione tenerent, 240

Pollicitus. Quae te, genitor, sententia vertit?
 Hoc equidem occasum Trojae, tristisque ruinas
 Solabar, fatis contraria fata rependens.

Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos 244
 Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?
 Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,

Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
 Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi:
 Unde per ora novem vasto cum murmure montis

It mare proruptum, & pelago premit arva fonanti. 250
 Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
 Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
 Troïa. Nunc placida compositus pace quiescit.
 Nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem,
 Navibus (infandum) amissis, unius ob iram 255
 Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
 Hic pietatis honos? sic nos in scepra reponis?
 Olli subridens hominum fator atque Deorum,
 Vultu, quo caelum, tempestatesque ferenat,
 Oscula libavit natae. Dehinc talia fatur. 260
 Parce metu, Cytherea. Manent inmota tuorum
 Fata tibi. Cernes urbem, & promissa Lavini
 Moenia, sublimemque scias ad sidera caeli
 Magnanimum Aenean: neque me sententia vertit.
 Hic (tibi fabor enim, quando haec te cura remordet: 265
 Longius & volvens fatorum arcana movebo)
 Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
 Contundet; moresque viris & moenia ponet:
 Tertia dum Latio regnantem viderit aetas,
 Ternaque transferint Rutulis hiberna subactis. 270
 At puer Aescanius, cui nunc cognomen Iulo
 Additur (Iulus erat, dum res stetit Ilia regno)
 Triginta magnos volvendis mensibus orbis
 Imperio explebit, regnumque a sede Lavini
 Transferet, & longam multa vi muniet Albam. 275

Hic

Hic jam tercentum totos regnabitur annos
 Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos,
 Marte gravis geminam partu dabit Iliam prolem.
 Inde Iulæ fulvo nutricis tegmine laetus
 Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet 280
 Moenia, Romanosque suo de nomine dicet.
 His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
 Imperium sine fine dedi. Quin aspera Juno,
 Quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat,
 Consilia in melius referet, mecumque fovebit 285
 Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
 Sic placitum. Veniet Iustris labentibus aetas,
 Cum domus Aëtaraci Phthiam clarasque Mycenæ
 Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
 Nascetur pulchra Trojanus origine Caesar, 290
 (Imperium Oceano, famam qui terminet astris;)
 Julius, a magno demissum nomen Iulo.
 Hunc tu olim caelo spoliis Orientis onustum
 Accipies secura. Vocabitur hic quoque votis.
 Aspera tum positis mitescent saecula bellis, 295
 Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
 Jura dabunt: dirae ferro, & compagibus artis
 Claudentur belli portae. Furor impius intus
 Saeva sedens super arma, & centum vinctus aënis
 Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento. 300
 Haec ait: & Maja genitum demittit ab alto;

Ut

Ut terrae, utque novae pateant Carthaginis arces
 Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
 Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum
 Remigio alarum: ac Libyae citus adstitit oris. 305
 Et jam iussâ facit: ponuntque ferocia Poeni
 Corda, volente deo. Inprimis regina quietum
 Accipit in Teucros animum, mentemque benignam.
 At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
 Ut primum lux alma data est, exire; locosque 310
 Explorare novos, quas vento accesserit oras:
 Qui teneant (nam inculta videt) homines-ne, ferae-ne,
 Quaerere constituit, fociisque exacta referre.
 Classẽ in convexo nemorum, sub rupe cavata,
 Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris,
 Occulit. Ipse uno graditur comitatus Achate, 316
 Bina manu lato crispans hastilia ferro.
 Cui mater media sese tulit obviam silva,
 Virginis os habitumque gerens; & virginis arma
 Spartanae: vel qualis equos Threïssa fatigat 320
 Harpalice, volucremque fuga praevertitur Hebrum.
 Namque humeris de moreabilem suspenderit arcum
 Venatrix, dederatque comam diffundere ventis:
 Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.
 Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum 325
 Vidistis si quam hic errantem forte fororum,
 Succinctam pharetra, & maculosae tegmine lyncis,

Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
 Sic Venus; & Veneris contra sic filius orsus:
 Nulla tuarum audita mihi, neque visa fororum. 330
 O (quam te memorem?) virgo, Namque haud tibi vultus
 Mortalis, nec vox hominem sonat. O dea certe;
 An Phoebi foror, an Nympharum sanguinis una?
 Sis felix, nostrumque leves quaecumque laborem:
 Et quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris 335
 Jactemur, doceas, Ignari hominumque locorumque
 Erramus, vento huc & vastis fluctibus acti.
 Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
 Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore:
 Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram. 340
 Purpureoque alte furas vincire cothurno.
 Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris urbem:
 Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
 Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
 Germanum fugiens. Longa est injuria, longae 345
 Ambages. Sed summa sequar fastigia rerum.
 Huic conjux Sichaeus erat, ditissimus agri
 Phoenicum, & magno miserae dilectus amore:
 Cui pater intactam dederat, primisque jugarat
 Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat 350
 Pygmalion, scelere ante alios inmanior omnes.
 Quos inter medius venit furor. Ille Sichaeum
 Impius ante aras, atque auri caecus amore,

Clam

Clam ferro incautum superat, securus amorum
 Germanae: factumque diu celavit, & aegram, 355
 Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
 Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
 Conjugis, ora modis attollens pallida miris:
 Crudelis aras, trajectaque pectora ferro
 Nudavit; coecumque domus scelus omne retexit. 360
 Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
 Auxiliumque viae veteres tellure recludit
 Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.
 His commota fugam Dido sociosque parabat.
 Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
 Aut metus acer erat: naves, quae forte paratae,
 Corripunt, onerantque auro. Portantur avari
 Pygmalionis opes pelago. Dux foemina facti.
 Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
 Moenia, surgentemque novae Carthaginis arcem: 370
 Mercatique solum, facti de homine Byrsam,
 Taurino quantum possent circumdare tergo.
 Sed vos qui tandem quibus aut venistis ab oris,
 Quo-ve tenetis iter? Quaerenti talibus ille
 Suspirans, imoque trahens a pectore vocem: 375
 O Dea, si prima repetens ab origine pergam,
 Et vacet annalis nostrorum audire laborum;
 Ante diem clauso componet vesper Olympo.
 Nos Troja antiqua, si vestras forte per auris

Trojae nomen iit, diversa per aequora vectos, 380
 Forte sua Libycis tempestas adpulsit oris.
 Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
 Classe veho, mecum, fama super aethera notus,
 Italiam quaero patriam: & genus ab Jove summo.
 Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor; 385
 Matre Dea monstrante viam, data fata secutus:
 Vix septem convolsae undis, euroque supersunt.
 Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro,
 Europa, atque Asia pulsus. Nec plura querentem
 Passa Venus medio sic interfata dolore est: 390
 Quisquis es, haud (credo) invisus caelestibus, auras
 Vitalis carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
 Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer.
 Namque tibi reduces socios, classemque relatam
 Nuntio, & in tutum versis Aquilonibus actam: 395
 Ni frustra augurium vani docuere parentes.
 Aspice bis fenos laetantis agmine cycnos,
 Aethera quos lapsa plaga Jovis ales aperto
 Turbabat caelo: nunc terras ordine longo
 Aut capere, aut captas jam despectare videntur. 400
 Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
 Et coetu cinxere polum, cantusque dedere;
 Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
 Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
 Perge modo, & qua te ducit via, dirige gressum. 405

Dixit,

Dixit, & avertens rosea cervice refulsit,
 Ambrosiaequae comae divinum vertice odorem
 Spiravere: pedes vestis defluxit ad imos,
 Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem
 Agnovit, tali fugientem est voce secutus: 419
 Quid natum toties crudelis tu quoque falsis
 Ludis imaginibus? cur dextrae jungere dextram
 Non datur, ac veras audire, & reddere voces?
 Talibus incusat, gressumque ad moenia tendit.
 At Venus obscuro gradientis aëre sepsit; 425
 Et multo nebulae circum Dea fudit amictu:
 Cernere ne quis eos, neu quis contingere possit,
 Molirive moram, aut veniendi poscere causas.
 Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
 Laeta suas: ubi templum illi, centumque Sabaeo 430
 Ture calent arae; fertisque recentibus halant.

Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
 Jamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
 Imminet, adversasque adspectat desuper arces.
 Miratur molem Aeneas, magalia quondam: 435
 Miratur portas, strepitumque, & strata viarum.
 Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
 Molirique arcem, & manibus subvolvere saxa:
 Pars optare locum tecto, & concludere sulco.
 Jura, magistratusque legunt, sanctumque senatum. 440
 Hic portus alii effodiunt: hic alta theatris

Fundamenta locant alii; inmanisque columnas
 Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
 Qualis apes aestate nova per florea rura
 Exercet sub sole labor, cum gentis adultos 435
 Educunt foetus, aut cum liquentia mella
 Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
 Aut onera accipiunt venientum; aut agmine facto,
 Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.
 Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella. 440
 O fortunati, quorum jam moenia surgunt!
 Aeneas ait, & fastigia suspicit urbis.
 Infert se septus nebula (mirabile dictu)
 Per medios, miscetque viris; neque cernitur ulli.
 Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae, 445
 Quo primum jactati undis & turbine Poeni
 Effodere loco signum, quod regia Juno
 Monstrarat, caput acris equi. Sic nam fore bello
 Egregiam, & facilem victu per saecula gentem.
 Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido. 450
 Condebat, donis opulentum, & numine divae.
 Aerea cui gradibus surgebant limina, nexaeque
 Aere trabes: foribus cardo stridebat aënis.
 Hoc primum in luco nova res oblata timorem
 Leniit. Hic primum Aeneas sperare salutem 455
 Ausus, & afflictis melius confidere rebus.
 Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,
 Regi-

Reginam opperiens; dum quae fortuna sit urbi,
 Artificumque manus inter se operumque laborem
 Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnās, 466
 Bellaque jam fama totum vulgata per orbem:
 Atridas, Priamumque, & faevum ambobus Achillem.
 Constitit; & lacrimans, Quis jam locus, inquit, A-
 chate,

Quae regio in terris nostri non plena laboris?
 En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi: 465
 Sunt lacrimae rerum: & mentem mortalia tangunt.
 Solve metus. Feret haec aliquam tibi fama salutem.
 Sic ait, atque animum pictura pascit inani
 Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
 Namque videbat, uti bellantes Pergama circum 470
 Hac fugerent Graeci, premeret Trojana juventus:
 Hac Phryges: instaret curru cristatus Achilles.
 Nec procul hinc Rheii niveis tentoria velis
 Agnoscit lacrimans: primo quae prodita somno
 Tydides multa vastabat caede cruentus: 475
 Ardentisque avertit equos in castra, prius quam
 Pabula gustassent Trojae Xanthumque bibissent.
 Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
 Infelix puer, atque impar congressus Achilli,
 Fertur equis, curruque haeret resupinus inani, 480
 Lora tenens tamen. Huic cervixque comaeque tra-
 huntur

Per terram, & versa pulvis inscribitur hasta.
 Interea ad templum non aquae Palladis ibant
 Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
 Suppliciter tristes, & tunsae pectora palmis. 485
 Diva solo fixos oculos averfa tenebat.
 Ter circum Iliacos raptaverat Hestora muros,
 Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
 Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
 Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici, 490
 Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.
 Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
 Eoasque acies, & nigri Memnonis arma.
 Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
 Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet, 495
 Aurea subnectens exsertae cingula mammae
 Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
 Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
 Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno;
 Regina ad templum forma pulcherrima Dido 500
 Incessit, magna juvenum stipante caterva.
 Qualis in Eurotae ripis aut per juga Cynthi
 Exercet Diana choros; quam mille secutae
 Hinc atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
 Fert humero, gradiensque Deas supereminet omnis:
 Latonae tacitum pertentant gaudia pectus. 506
 Talis erat Dido: talem se laeta ferebat

Per medios, instans operi regnisque futuris,
 Tum foribus divae, media testudine templi,
 Septa armis, folioque alte subnixa refedit. 510
 Jura dabat, legesque viris: operumque laborem
 Partibus aequabat justis, aut forte trahebat:
 Cum subito Aeneas concursu accedere magno
 Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
 Teucrorumque alios: ater quos aequore turbo 515
 Dispulerat, penitusque alias advexerat oras.
 Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates
 Laetitiaque metuque, avidi conjungere dextras
 Ardebant: sed res animos incognita turbat.
 Dissimulant; & nube cava speculantur amicti, 520
 Quae fortuna viris; classem quo litore linquant;
 Quid veniant. Cunctis nam lecti navibus ibant,
 Orantes veniam, & templum clamore petebant.
 Postquam introgressi, & coram data copia fandi;
 Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit: 525
 O regina, novam cui condere Juppiter urbem,
 Justitiaque dedit gentis frenare superbas,
 Troës te miseri, ventis maria omnia vēsti,
 Oramus: prohibe infandos a navibus ignis;
 Parce pio generi, & propius res aspice nostras. 530
 Non nos aut ferro Libycos populare penates
 Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas:
 Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.

Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,
 Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae: 535
 Oenotri coluere viri: nunc fama, minores
 Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Huc cursus fuit.

Cum subito adfurgens fluctu nimbofus Orion 539

In vada caeca tulit, penitusque procacibus Austris,

Perque undas, superante salo, perque invia saxa

Dispulit. Huc pauci vestris adnavimus oris.

Quod genus hoc hominum, quaeve hunc tam barba-
 ra morem

Permittit patria? hospitio prohibemur arenae.

Bella cient, primaque vetant consistere terra. 545

Si genus humanum & mortalia temnitis arma;

At sperate deos memores fandi atque nefandi.

Rex erat Aeneas nobis, quo justior alter

Nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Quem si fata virum servant, si vescitur aura 550

Aethera, nec adhuc crudelibus occubat umbris;

Non metus, officio nec te certasse priorem

Poeniteat. Sunt & Siculis regionibus urbes,

Armaque, Trojanoque a sanguine clarus Aestes.

Quassatam ventis liceat subducere classem, 555

Et silvis aptare trabes, & stringere remos.

Si datur Italiam, fociis & rege recepto,

Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus.

Sin absumta salus, & te, pater optime Teucrum,
 Pontus habet Libyae, nec spes jam restat Iuli; 560
 At freta Sicaniae saltem, sedesque paratas,
 Unde huc adveſti, regemque petamus Aceſten.
 Talibus Ilioneus. Cuncti ſimul ore fremebant
 Dardanidae.

Tum breviter Dido, vultum demiffa, profatur: 565
 Solvite corde metum, Teucri: ſecludite curas.
 Res dura, & regni novitas me talia cogunt
 Moliri, & late finis cuſtode tueri.

Quis genus Aeneadum, quis Trojae neſciat urbem,
 Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli? 570
 Non obtuſa adeo geſtamus pectora Poeni:

Nec tam averſus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
 Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arva,
 Sive Erycis fines, regemque optatis Aceſten;
 Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo. 575

Vultis & his mecum pariter confidere regnis?
 Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt. Subducite naves.
 Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

Atque utinam rex ipſe noto compulſus eodem,
 Adforet Aeneas! equidem per litora certos 580
 Dimittam, & Libyae luſtrare extrema jubebo;
 Si quibus ejeſtus ſilvis, aut urbibus errat.

His animum arreſti dictis, & fortis Achates,
 Et pater Aeneas, jamdudum erumpere nubem

Arde-

Ardebant. Prior Aeneam compellat Achates: 585

Nate Dea, quae nunc animo sententia surgit?

Omnia tuta vides, classem, sociosque receptos.

Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi

Submersum: dictis respondent cetera matris.

Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente 590

Scindit se nubes, & in aethera purgat apertum.

Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit,

Os humerosque deo similis: namque ipse decoram

Caesariem nato genitrix, lumenque juventae

Purpureum, & laetos oculis adflarat honores. 595

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo

Argentum Parius-ve lapis circumdatur auro.

Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente

Improvisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum

Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis. 600

O sola infandos Trojae miserata labores,

Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque

Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,

Urbe, domo, socias. Grates persolvere dignas

Non opis est nostrae, Dido: nec quicquid ubique est 605

Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.

Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid

Usquam iustitiae est, & mens sibi conscia recti,

Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt

Saecula? qui tanti talem genuere parentes? 610

In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
 Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet;
 Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt:
 Quae me cunque vocant terrae. Sic fatus, amicum
 Ilionea petit dextra, laevaue Sereftum: 615
 Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.

Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido;
 Casu deinde viri tanto. Et sic ore locuta est.
 Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
 Insequitur? quae vis inmanibus applicat oris? 620
 Tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
 Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
 Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
 Finibus expulsus patriis, nova regna petentem,
 Auxilio Beli. Genitor tum, Belus opimam 625
 Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
 Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
 Trojanae, nomenque tuum regesque Pelasgi.
 Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
 Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat. 630
 Quare agite, o testis, juvenes, succedite nostris.
 Me quoque per multos similis fortuna labores
 Jactatam hac demum voluit consistere terra.
 Non ignara mali, miseris succurrere disco.
 Sic memorat. Simul Aenean in regia ducit 635
 Testa: simul Divum templis indicit honorem.

Nec

Nec minus interea sociis ad litora mittit
 Viginti tauros, magnorum horrentia centum
 Terga suum, pingues centum cum matibus agnos
 Munera, laetitiamque Dei! 640
 At domus interior regali splendida luxu
 Infruitur, mediisque parant convivia testis.
 Arte laboratae vestes, ostroque superbo:
 Ingens argentum mensis, caelataque in auro
 Fortia facta patrum, series longissima rerum, 645
 Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.
 Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
 Passus amor) rapidum ad navis praemittit Achaten,
 Ascanio ferat haec; ipsumque ad moenia ducat.
 Omnis in Ascanio chari fiat cura parentis. 650
 Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,
 Ferre jubet; pallam signis auroque rigentem,
 Et circumtextum croceo velamen acantho,
 Ornatus Argivae Helenae: quos illa Mycenis,
 Pergama cum peteret, inconcessosque Hymenacos, 655
 Extulerat, matris Ladae mirabile donum.
 Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
 Maxima natarum Priami, colloque monile
 Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.
 Haec celerans, iter ad navis tendebat Achates. 660
 At Cytherea novas artis, nova peiore versat
 Consilia: ut faciem mutatus & ora Cupido,

Pro dulci Afcanio veniat; donisque furentem
 Incendat reginam, atque offibus implicet ignem.
 Quippe dopum timet ambiguum, Tyriosque bilingues,
 Vrit atrox Juno, & sub noctem cura recurfat. 666
 Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
 Nate, meae vires, mea magna potentia, folus,
 Nate, patris fummi qui tela Typhoëa temnis;
 Ad te confugio, & fupplex tua numina pofco. 670
 Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
 Litora jactetur, odiis Junonis iniquae,
 Nota tibi: & noftro doluifti faepe dolore.
 Hunc Phoeniffa tenet Dido, blandisque moratur
 Vocibus: & vereor, quo fe Junonia vertant. 675
 Hofpitia. Haud tanto ceffabit cardine rerum.
 Quo circa capere ante dolis, & cingere flamma
 Reginam meditor; ne quo fe numine mutet:
 Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
 Qua facere id poffis, noftream nunc accipe mentem: 680
 Regius accitu cari genitoris ad urbem
 Sidoniam puer ire parat; mea maxima cura;
 Dona ferens pelago, & flammis refantia Trojae.
 Hunc ego fopitum fomno fuper alta Cythera,
 Aut fuper Idalium facrata fede recondam: 785
 Ne qua fcire dolos, mediusve occurrere poffit.
 Tu faciem illius noftem non amplius unam
 Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:

Ut,

Ut, cum te gremio accipiet lactissima Dido,
Regalis inter mensas, laticemque Lyacum, 696

Cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspiret ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis carae genetricis, & alas
Exiit, & gressu gaudens incedit Iuli.

At Venus Aescanio placidam per membra quietem 695
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliae lucos; ubi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci adspirans complectitur umbra.

Jamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate. 700

Cum venit, aulaeis jam se Regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Jam pater Aeneas, & jam Trojana juvenus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque fetunt mantelia villis. 706

Quinquaginta intus famulae: quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates.

Centum aliae, totidemque pares aetate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant. 710

Nec non & Tyrii per limina laeta frequentes
Convenere, toris jussi discumbere pictis.

Mirantur dona Aeneae; mirantur Iulium,
Eflagrantesque Dei vultus, simulataque verba,

Pallamque, & pictum croceo velamen Acantho. 715
 Praecipue infelix pecti devota futurae:
 Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
 Phoenissa, & puero pariter donisque movetur.
 Ille, ubi complexu Aeneae colloque pependit,
 Et magnum falsi inplevit genitoris amorem; 720
 Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto
 Haeret; & interdum gremio fovet, inscia Dido
 Infidear quantus miserae deus. At memor ille
 Matris Acidaliae, paullatim abolere Sichacum
 Incipit, & vivo tentat praevertere amore 725
 Jam pridem residet animos, desuetaque corda.
 Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae;
 Crateras magnos statuunt, & vina coronant.
 Fit strepitus testis, vocemque per ampla volutant
 Atria: dependent lychni laquearibus aureis 730
 Inceasi, & noctem flammis funalia vincunt.
 Hic regina gravem gemmis, auroque poposcit,
 Implevitque mero, pateram: quam Belus, & omnes
 A Belo soliti. Tum facta silentia testis:
 Juppiter, (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
 Hunc laetum Tyriisque diem, Trojaque profectis 736
 Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
 Adsit laetitiae Bacchus dator, & bona Juno,
 Et vos o coetum Tyrii celebrate faventes.
 Dixit, & in mensam laticum libavit honorem, 740

Primaque libato summo tenus attigit ore.

Tùm Bittae dedit increpitans. Ille impiger hausit

Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas

Perlonat aurata, docuit quae maximus Atlas. 745

Hic canit errantem Lunam, Solisque labores:

Unde hominum genus, & pecudes; unde imber, &
ignes;

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones:

Quid tantum Oceano properent se tingere Soles

Hiberni: vel quae tardis mora noctibus obstet. 750

Ingeminant plausu Tyrii, Troësque sequuntur.

Nec non & vario noctem sermone trahebat

Infelix Dido, longumque bibebat amorem;

Multa super Priamo rogicans, super Hectore multa:

Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis: 755

Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.

Imo age, & a prima dic, hospes, origine nobis

Infidias, inquit, Danaum, casusque tuorum,

Erroresque tuos. Nam te jam septima portat

Omnibus errantem terris & fluctibus aestas. 760

